

Sed per Christi mortem & resurrectionem impleta fuerunt omnes figure antiquae legis, ut Christus iam mortuus significavit, cum dixit, Consummatus est: Ergo in morte & resurrectione Christi lex Moisaica cessavit, & penitus fuit abrogata. Unde Leo Papa serm. 7. de passione: *Ut vixit ad eandem corpori, antiqua observantia novo excluditur sacramentis; hostia in hostiam transiit, sanguis sanguis adferitur, & legis servitutes, dum mutatur, impletur.*

64. Secunda: Christus in cena ultima novum condidit testamentum, quod morte deinde & resurrectione sua confirmavit: Ergo vetus quasi senio jam confectum, accedente tunc novo, extinctum est. Consequentia patet: valor enim testamenti posterioris, revocat vim prioris, quociescumque posterius conditur ad revocandum prius, ut patet in humanis: Atqui novum testamentum conditum est, ut prius revocaretur, ut fatentur omnes, & docet Apostolus ad Hebraeos 10. his verbis: *Aufer prius, ut sequens status. Et cap. 8. Dicendo novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.* Ergo &c.

65. Tertia ratio: Ad Romanos 7. ex eo quod sumus liberati a peccato, infer Paulus quod sumus prius & iugo legis exempti: Sed in morte & resurrectione Christi sumus a peccato liberati: Ergo & a lege veteri. Unde idem Apostolus ibidem ait, quod sicut mulier in morte viri libera fit a lege matrimonii, ita Synagoga in morte Christi, a legis obligatione libera est.

66. Quarta ratio sumitur ex illo Apostoli ad Hebraeos 7. *Translato sacerdotio, necesse est, ut & legis evanescat status:* Ergo cessante sacerdotio veteris legis, ipsam quoque legem veterem cessasse necesse est; quandoquidem, juxta Paulum & rei veritatem, erat connexio & concomitantia necessaria inter legem & sacerdotium: Atqui sacerdotium veteris legis, in ipsa Christi morte & resurrectione cessavit; tunc enim sacerdotium Aaronicum totaliter fuit evacuatum, & in sacerdotium Christi translatum, ut colligitur ex illo Apostoli ad Hebraeos 9. *Christus assistens Pontifici futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus creationis, sed per proprium sanguinem introiit semel in sancta, aeterna redemptione inventa:* Ergo lex vetus in ipsa Christi morte & resurrectione cessavit, & penitus abrogata est, etiam quoad precepta moralia; nam quamvis haec etiam nunc retineant vim obligandi, non tamen quatenus precepta legis Moisaicae sunt, sed quatenus sunt precepta legis naturalis, quorum obligatio perpetua est.

67. Dixi autem, in ipsa Christi morte & resurrectione, tum quia cum lex vetus non solum passionis & mortis Christi, sed etiam ejus resurrectionis figura & umbra existeret, ante resurrectionem Christi nondum fuit perfecta completa, nec proinde totaliter extincta. Tum etiam, quia sacerdotium Aaron, quod erat proprium legis veteris, non debuit aboleri, donec sacerdotium Christi esset consummatum, & in perfectione atque indefectibilitate constitutum, quod non habuit usque ad ejus resurrectionem, in qua ipse Christus vitam immortalem & indefectibilem reassumpserat; unde tunc solum adimpleta fuit haec propheta Davidis: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Adde quod obligatio Baptismi, qui est totius legis Evangelicae fundamentum, coepit solum post resurrectionem Christi, cum ipsa die resurrectionis, Christus ejus preceptum proposuisset, dicendo Apostolus: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris & Filii, &c.* Ergo tunc solum & non antea cessavit lex vetus.

68. Contra istam conclusionem objiciunt Adversarii: Lex Moisaica non prius desit, quam Evangelica coepit obligare, cum generatio istius, sit corruptio illius, juxta illud Apostoli ad Ephes. 2. *Legem mandatorum decretis evanescens, id est legem Moisaicam decretis Evangelicis excludens, ut exponunt Chryostomus, Theophylactus, & Oecumenius ibidem:* Atqui lex Evangelica non coepit obligare ante diem Pentecostes: Ergo ante illum diem lex Moisaica obligare non desit. Majorem ut certam supponunt, Minorem vero sic probant. Lex ante sui promulgationem non obligat, ut docet S. Thomas supra quest. 91. art. 4. Sed lex Evangelica non fuit promulgata ante Pentecostem: Ergo ante diem Pentecostes obligare non coepit. Minor probatur, tum quia usque ad tempus Pentecostes Apostoli non proposuerunt populo publice Evangelium; tum etiam quia quemadmodum lex vetus non fuit promulgata, nisi quinquagesima die a Paschate Judaeorum; ita non debuit lex nova promulgari, nisi post quinquagesima dies a Paschate sive resurrectione Christi, promulgationem enim legis Moisaicae, figuram fuisse promulgationis legis Evangelicae, ut supra art. 2. in fine ostensum est.

69. Huic argumento, quod est precipuum Adversariorum fundamentum, respondet, concessa Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, duplicem esse legem promulgationem: unam essentialem, & legi sufficientem, quae fit quando Princeps ut publica persona illam proponit & iurata fidei subditis in curia existentibus; altera sollemnis & accidentalis, atque ad tollendam subditorum

ignorantiam ordinata, quae fit cum lex a principe per singulas provincias aut per omnes praecipuas civitates publicatur. Quamvis ergo lex Evangelica hoc secundo genere promulgationis, solum in die Pentecostes promulgata fuerit ab Apostolis in Christi praesentia: ipso tamen die resurrectionis fuit a Christo propostita & intimata Discipulis, his verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Unde a die resurrectionis coepit habere vim legis ex se obligantis, quamvis haec promulgatio non fuisset et ad tollendam ignorantiam illius, nec proinde ad reddendum homines inexcusabiles ab ejus transgressionibus. Ex quo patet ad primam probationem Minoris. Ad secundam vero similiter dico, legem Moisaicam promulgatione sufficiente ad rationem legis fuisse promulgatam ad eo tempore quo Deus eam dedit Moysi in monte Sina, tunc enim locutus est Deus ut Princeps & Legislator; subindeque ex eo tempore precepta illius legis lata a Deo vim legis habuerunt; adeo ut ipsius publicatio facta deinde a Moysse toti populo, non haberet vim promulgationis necessariae ad essentialis legis, sed tantum declarationis, ne homines ignorantia ab ejus obligatione excusari possent. Quare licet publicatio illa veteris legis facta per Moysen, fuerit fitiolum promulgationis legis Evangelicae faciendam per Apostolos in die Pentecostes, hinc tamen non fit, istam fuisse necessariam ad rationem & essentialis legis Evangelicae, sed tantum ad tollendam ignorantiam ipsius.

Ad solutionem alterius argumenti, quod contra nostram conclusionem fieri solet, advertendum est, quod licet a passione & resurrectione Christi, usque ad Evangelii divulgationem, lex antiqua mortua fuerit, ita ut nec obligaret, nec vim obligandi haberet, non tamen penitus erat inutilis, sicut est modo, sed quoad quidam permansit ejus bonitas, & non fuit mortua, fuerit Judaeorum recipientes circumfisionem, a peccato originali justificabantur, illique qui bona fide legem illam observabant, salvabantur; divinam namque bonitatem decebat, ut quamdiu sustinuit legem illam, non auferret ejus utilitatem, ut prodesset illis, qui bona fide illam observabant; unde pro illis valebat dispensatio & permisso pro legem data, repudiandi uxorem legitimam, & ducendi aliam, vel habendi plures simul.

ARTICULUS V.

Utrum lex Moisaica statim atque cessavit obligare, fuerit mortifera?

Partem affirmantem tenuit olim D. Hieronymus, ut constat ex Epistola ejus ad Augustinum, quae inter Epistolas ipsius Augustini connumeratur undecima; qui distinxit enim solum duo tempora, unum ante passionem Christi, in quo legalia non erant mortua, quasi non habentia vim obligatoriam, aut expiatiivam, pro suo modo, nec etiam mortifera; quia non peccabam ea observantes; alterum post passionem Christi, in quo solum mortua (id est non habentia virtutem & obligationem) sed etiam mortifera fuerunt, ita scilicet quod peccarent mortaliter quicumque ea observarent. Oppositum docuit Augustinus Epist. 9. & 19. ad Hieronymum, ubi distinxit tria tempora. Unum ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua. Aliud post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt mortua & mortifera. Tertium autem est tempus medium, scilicet a passione Christi, usque ad divulgationem Evangelii, in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi quibus Judaeis converteri erant ad Christum, poterant illa licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. Augustinum secutus est D. Thomas hic q. 103. art. 4. ad 3. alique Theologi communiter, cum quibus

Dico, legem Moisaicam non fuisse mortiferam statim atque cessare coepit illius obligatio, sed aliquo tempore post illius abrogationem, fuisse licitum servare illius precepta ceremonialia, quamvis non esset necessarium.

Probatur efficaciter, quia ipsemet Apostoli usurparunt ceremonialia ista in locis ubi iam lex Moisaica desierat obligare, facta iam sufficienti promulgatione legis Evangelicae, ut patet ex Act. 16. ubi Paulus Timotheum ex parte Gentili natum circumcidit; & cap. 21. ubi more Nazarorum toto die caput in Cenchris; & cap. 21. ubi de censu Jacobi Apostoli, & seniorum, usus est legali purificatione cum Judaeis, ut illos sibi conciliaret, & purificatus cum illis templum ingressus esset. Demum cap. 15. ejusdem libri, in Concilio Apostolorum statutum fuit, ut Christiani abstinere a sanguine, & fuscato, quae una erat ex caeremoniis legalibus.

Respondet D. Hieronymus Epistola citata, nunquam Apostolos post resurrectionem Christi legalia observasse secundum veritatem, sed solum ex quadam pia simulatione, ne scandalizarent Judaeos & eorum conversionem impediunt.

Verum

Verum si caeremoniae illae tunc fuissent mortiferae, ut sentit Hieronymus, non potuissent licite usurpari simulatione ab Apostolis; quia contra fidei professionem est, ut cultu superstitioso & profertur exteriori saltem religionem; cuiusmodi erat religio Judaeorum quoad cultus illos, si jam erant superstitiosi & mortiferi. Item si licuisset Apostolis uti simulatore cultu superstitioso Judaeorum, ut eos lucrarentur, quemadmodum ait Hieronymus, licuisset similiter uti simulatore cultu superstitioso Gentilium, ut facilius eos converterent; & tunc etiam liceret uti caeremoniis Judaicis, simulareque eorum fidem, ut eos lucrificeremus, sicut contra Hieronymum recte argumentatur S. Augustinus Epistolis citatis. Addit S. Thomas loco supra citato, *inducens videri quod Apostoli ea observarent propter scandalum, quae perveniunt ad veritatem vitae & doctrinae, & quod simulatione uterentur in his quae pertinent ad salutem filiorum.*

73. Potest insuper suadere conclusio optima congruentia, qua utitur D. Augustinus ad probandum post abrogationem legis Moisaicae, per aliquod tempus fuisse licitum legalia servare, usque ad sufficientem divulgationem Evangelii, quamvis non esset necessarium. Sicut enim (inquit) solent homines mortuos aliquandiu antefepulchrum servare, ut cum honore sepulture tradantur: ita decuit legalia, quae ut viva post Christi mortem servari non poterant, ut mortua usque ad perfectam Evangelii divulgationem servari, ut cum honore mortua mater synagoga sepeliretur; & ne homines existimarent, si ea statim rejecta fuissent, veterem legem fuisse abominabilem, perinde ac Gentilium cultum, quem nulla unquam mora finire Apostoli voluerunt.

Dices, si licitum erat post abrogationem legis Moisaicae per aliquod tempus legalia servare, non potuit rationabiliter Paulus ad Galat. 2. reprehendere Petrum Apostolum, eo quod illa usurparet, seque a Gentilibus Antiochenis recens converteri segregaret, ut viveret Judaice cum Judaeis, qui Jerosolymis a Jacobo advenierant: Atqui Paulus jure reprehendit Petrum, qui, ut dicitur ad Galat. 2. reprehensibilis erat: Ergo post abrogationem legis Moisaicae, licitum non fuit servare legalia.

74. Respondet, negando sequelam Majoris: Petrus enim jure fuit reprehensus a Paulo, non quod simpliciter uteretur caeremoniis Judaicis, post abrogationem legis Moisaicae (sed quod ipsemet Paulus ipse fecerat, ut supra ostendimus) sed quod uteretur cum aliqua impudentia & scandalo infirmorum, adeo ut Christiani ex ejus facto inducerentur ad existimandum observationem legalium esse adhuc necessariam, & ita quodammodo cogenter judicare, ut significant verba illa Pauli ad Petrum ad Galat. c. 2. *Si in Judaeis non sis, gentilitate vivas, & non Judaeice, quomodo regis gentes judicare?* Solutio est Divi Thomae hic quest. 103. art. 2. ad 8. ubi haec scribit: *Nec peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat, quia hoc sibi licetiam rationem ex Judaeis convorsis sed peccabat in hoc, quod circa legalium observationem nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Judaeos, ita quod ex hoc sequebatur Gentilium scandalum.*

75. Quaes, quod praefice tempore coepit lex Moisaica esse mortifera?

Respondet hoc esse dubium & incertum, valde tamen probabile esse quod perique Theologi docent, illam solum coepisse esse mortiferam quadragesimo circiter post Christi mortem anno, postquam Evangelium sufficienter jam toto orbe Judaeis promulgatum fuit per Apostolos, templumque Jerosolymitanum, una cum statu Republicae Judaicae a Romanis Imperatoribus eversum: tunc enim non erat amplius necessarium deserre honorem Synagoga jam extinctae, aut uti condescensu erga Judaeos, tandem Dei vocationi rebelles.

DISPUTATIO XII.

De Lege Divina nova.

Ad quest. 106. Divi Thomae, & duas sequentes.

76. Hactenus de lege veteri, quam Deus olim Angelorum ministerio dedit Moysi, in monte Sina, totique populo Judaico; nunc de lege quam Christus tulit, & Ecclesiae suae tradidit, ac per gratiam Spiritus Sancti fidei hunc cordibus indidit, quae variis solet nominibus nuncupari. In primis enim lex nova, seu novum Testamentum appellatur, eo quod sicut vere ex novo, tota facies terrae renovatur, juxta illud Poetae Ecloga 3.

Et nunc omnis ager, nunc omnis pariter arbor, Nunc frondent sylvas, nunc omnia formosius annus. Ita adventiente lege gratiae, omnia penitus innovata sunt, secundum illud Apostoli 2. ad Cor. 5. *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* Unde ibi Chryostomus: *Renovata, inquit, vetera jam mutata sunt, ut & anima nova,*

& corpus novum, & novum adorationis genus, & pollicitationes nova, & testamentum, & vita, & mensa, & vestis, & ut uno verbo dicam, omnia nova sunt. Et Nicetas in Commentario Orationis de encanis D. Gregorii Nazianzeni: *Est, ait, canticum novum allegorice, novi Testamenti canticum; tunc enim nova omnia facta sunt, & creatura nova, & novus homo, & vita nova, & nova mandata, & nova gratia, & nova pollicitationes.* Similiter Theophylactus 2. ad Corinth. 5. *Vetus peccatum transiit, novaque nobis anima & novum corpus factum est, pro Judaicis omnibus, nova nobis facta sunt omnia.* Demum Gregorius Magnus homil. 32. in Evangel. *Novus homo venit in mundum, nova precepta dedit mundo, & vita veteris, contrarietatem opposuit novitatis sua.*

Secundo, lex Evangelica appellatur, quia, ut ait Augustinus operis imperfecti in Matth. *Evangelium est bonum nuncium: Bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo caelestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, immortalis vita, hereditas regni caelestis, possessio gloriae sempiternae, societas Angelorum, & communicatio Spiritus, & fraternitas Christi, & paternitas Dei.* Dicitur tertio, lex gratiae, quia vi sua, & ratione sui 3. status, dat gratiam sanctificantem & auxilia gratiae. Unde Apostolus ad Roman. 1. *Non enim erubescit Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* In quem locum haec scribit Anselmus: *Virtus, quae gratiam praestat, per cuius auxilium valeamus facere quod praecipit.* Eademque de causa vocatur etiam lex Spiritus vitae, & lex libertatis, quia liberat a lege & servitute peccati. Vel etiam quia liberat ab onere legis Moisaicae.

Quarto, vocatur lex fidei, propter majorem expressio-nem, & determinationem articulo-rum fidei Trinitatis, Incarnationem &c. Et lex gratiae, propter efficaciam Sacramentorum, ut ait S. Thomas quodlibet 4. art. 13.

Demum lex amoris seu caritatis appellatur, quia, ut 5. belle quidam ait, amor caritatis est veluti lex Salica Christianitatis. Vel quia, ut dicit Augustinus, libro adversus Adimantum cap. 17. *Haec est brevissima & perspicua differentia duorum Testamentorum, vinum & amor.* Adde quod lex vetus cum errore, nova promulgata est cum amore, coepit enim promulgari a Petro, ipso die Pentecostes, quo Spiritus Sanctus, cujus peculiare nomen est amor, Apostolis sese infudit, & in eorum cordibus Spiritum caritatis effudit, juxta illud Apostoli ad Romanos 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ad quod respiciens Bernardus Ep. 107. admirabilibus exclamavit: *O genium ipsamque misericordiam, erga nos amoris argumentum! Christus mortuus: meretur ergo amari. Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit cur ametur, iste ut ametur. Ille multum dilectionem nobis commendat, iste dat. In illo certamus quod amemus, ab ipso sumimus unde amemus. Caritatis ergo ab illo nascitur, ex ipso affectio.*

ARTICULUS I.

Utrum lex nova a Christo instituta sit, & quibus preceptis ea constet?

77. Calvinus in cap. 4. Epistole ad Galat. asserit Christum 6. nullam legem novam tulisse, sed solum a lege antiqua nos liberasse: „ O miserabilem, inquit, iustitiam! „ O perniciosum errorem praevaricantem Christum tamquam novum legislatorem! Quasi veterem legem abrogaverit, „ ut novam Christianis omnibus legem imponeret. Non fuit id Christi officium, sicut ipse dixit: Non misit „ Deus filium suum in mundum, ut iudicaret mundum, „ sed ut salvetur mundus per ipsum. Et alio loco: Ergo, „ inquit, non iudico quemquam. Non habuit perfectio „ Christi id operis ac numeris, ut novam institueret legem, sed ut ab hominum cervicibus servile illud legum jugum auferret. Hoc illud est quod Paulus clamavit „ Deum misisse filium suum factum sub lege, ut eos qui „ sub lege erant, redimeret. Noltri vero novitii Theologi, divino adversantes consilio, pro liberatore legisla-torem, qui nos in durissimum tradat servitutem, fateri „ scriptendum docent. „ Ut hic error explodatur, & vera atque Catholica sententia declaretur,

Dico: Christus instituit novam legem ad Christianos 7. pertinentem.

Probatur primo ex Scriptura, nam in veteri Testamento promittitur Messia venturus ut legislator, & novam legem laturus: *Jeremias 3. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fidem novam, &c. Dabo legem meam in visceribus eorum.* Quae verba de Christo, ejusque foedere & lege dicta esse interpretatur Apostolus ad Hebraeos 8. & 10. Item Isaia 2. sic dicitur: *Et erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exiit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Quae de Messia, ejusque lege dicta*

ARTICULUS II.

Quomodo lex nova differat a veteri?

dicta esse, ex ipso textu manifestum est. Cap. 33. de eodem Messia sic ait: Dominus iudex vester, Dominus legislator vester, Dominus rex vester, ipse salvabit vos: Demum in Evangelio Christus passim loquitur de sua lege: Joann. 14. Mandata mea servate. Joann. 10. Si precepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Math. 23. Docete et servate omnia quecumque mandavi vobis. Et Paulus 1. ad Corinth. 9. Illis qui sine lege erant, factus sum tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi. Et ad Hebr. 2. confert inter se Christum & Moysen, tamquam duos legislatores, alterum veteris, alterum novi Testamenti, & ait: si transgressores legis a Moysa data puniri fuit, multo magis transgressores legis a Christo data puniendos esse. Quapropter merito Tridentinum sess. 6. can. 21. sic pronuntiat: Si quis dixerit Christum solum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidem, non etiam ut Legislatorem, cui obediatis, anathema sit. Quibus verbis, Calvinus error manifeste proficitur.

13. Probatur secundo conclusio: Ad providentiam Regis pertinet statuere leges, ad Regni conservationem, & Republicam tranquillitatem necessarias, vel utiles. Pertinet etiam ad providentiam Summi Pontificis leges ferre in his que ad cultum Dei, & ad bonum Ecclesie spectant: Sed Christus fuit Rex Ecclesie & Summus Pontifex illius, ut in Tract. de Incarnat. disp. 12. art. 3. & 4. ostendimus. Ergo fuit etiam legislator, & debuit utroque nomine leges Ecclesie necessarias vel utiles statuere, per quas ad finem propositum, qui est salus aeterna, promoveri possit. Porro ficut regia dignitas convenit Christo cum singulari excellentia, nulli alteri concessa, ut loco citato declaravimus, ita & potestas legislativa. Primo, quia fuit divina quodammodo, ratione suppositi divini, unde jus ab eo conditum, vocatur divinum simpliciter. Secundo, propter excellentiam legum & preceptorum, que, ut diximus, quia per talem potestatem legem veterem potuit abrogare. Demum, quia fuit amplissima in universum mundum: Math. 28. Data est mihi omnis potestas in celo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, &c.

Contra istam conclusionem objici potest illud Joann. 1. Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est, quo significari videtur, Moysen fuisse Legislatorem, non vero Christum, ipsumque nullam tulisse legem, sed solum gratiam & justificationem nobis premeruisse.

9. Sed facile responderetur, non ideo gratiam dici per Christum factam, legem vero per Moysen datam, quod Christus nullam legem tulit: sed quia Moyses dedit Judaeis undam legem sine gratia, id est legem precipientem, sed non javantem; Christus vero dedit nobis legem cum gratia, id est legem precipientem & adjvantem. Quam ob causam vocatur ab Apollolo lex spiritus, & a Christo jugum suave & anus leve. Unde Augustinus serm. 22. de verbis Apostoli: Hac parva (inquit) nov est pondus onerata, sed alia voluntas: habent enim & veteris testamenti scripturas, portant illas in terra, portantur ab illis in celo, &c. Et Bernardus Epil. 34. ad Monachos B. Bertini: Lex, est, salvatoris onus, quo crevit amplius, & portabilior est. Nonne & vincula veteris, non ferri, ponderum, sive plurimarum numerofitas ipsa? Tolle eas, & reliquum corpus feratur ad terra. Sic disciplinam Christi, sic suum jugum, sic onus leve, quo deprimimur, eo deprimimur, quia portas potius quam portamus.

10. Dico secundo, lex nova que a Christo data est, continet triplicia precepta, nempe moralia, sacramentalia, & fidelitatis. Patet conclusio ex Scriptura: nam de preceptis moralibus Christus dixit Math. 19. si vis ad vitam ingredi, serva mandata, per que precepta Decalogi, que proprie ad mores pertinent, juxta omnes Interpretes, intelligebat. Et Matth. 19. divortium & libellum repudii prohibuit, & statuit, ut vinculum matrimonii non amplius dissolvatur. De sacramentalibus Joann. 3. Christus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei. Et Joann. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. De preceptis vero fidei dicebat, Marc. 16. Qui crederit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crederit, condemnabitur. Et Joann. 8. Si non crederitis, quia ego sum, morietur in peccato vestro.

11. Notandum vero, hoc inter triplicia illa precepta esse differentiam, quod moralia, cum sint juris naturalis, non fuerunt a Christo instituta, sed tantum explicata & vindicata ab erroribus, quibus ex hominum malicia fuerant involuta. Sacramentalia vero instituta sunt a Christo, ut essent loco veterum, que ab ipso abrogata sunt. Precepta vero fidei de novo instituta non sunt, sed tantum ex implicitis facta fuerunt magis clara, ita ut nuac explicite mysteria quaedam credere teneamur, que in lege veteri implicite dumtaxat credebantur: eujusmodi sunt nativitas, passio, & mors Christi, que a Judaeis obscure credebantur, sed expresse creduntur a Christianis.

stamenti, juxta illud Actuum 15. Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi, Patres scilicet veteris Testamenti. Et istud 1. Corinth. 10. Bibebant autem de spiritali confectione eos petra: petra autem erat Christus.

16. Hinc intelliges legem veterem recte speculo comparari, quod maculas quidem offendit, sed non auferit: legem vero novam aqua, que non solum fordes valet offendere, sed & abluere; unde Ezech. 25. Dominus fidelibus novae legis pollicetur: Esuriam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.

17. Intelliges etiam, cur lex nova vivificare dicitur, & veteris occidere: quia nimirum prima largitur gratiam, que vera animi vita est; altera vero eam vi sui largiri nequit, & concupiscentiam prohibendo auget, ut docet Augustinus de Spiritu & littera cap. 4. Doctrina (inquit) qua mandatum accipimus, littera est occidens, nisi adit vivificans Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam, & est caritatem.

18. Demum intelliges, quod quemadmodum in antiquum proprietarium Exodi 15. vertunt vultus duo Cherubini, sic in Christum, veluti magnum quoddam proprietarium mundi, vertunt oculos duo populi, antiquus, qui Christi adventum precessit, & Christianus, qui sequitur, cum eadem Christi gratia uterque populus salvus factus sit, & eodem agni immaculati sanguine redemptus. Unde Augustinus Epil. 157. ad Optatum: „Cum omnes iusti, id est veraces Dei cultores, sive ante Incarnationem, sive post Incarnationem Christi, nec viverent nec vivunt, nisi ex fide Incarnationis Christi, in quo est gratia plenitudo, profecto quod scriptum est Act. 4. Non esse aliud novum sub celo, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi illo tempore vada ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitium ad, in Christo omnes vivunt in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivunt, sicut in Adam omnes moriuntur, nemo sine Adam, ita in regno vite, nemo sine Christo: sicut per Adam omnes iniusti, ita per Christum omnes iusti homines: sicut per Adam omnes mortales in pena lapsi sunt filii facti; ita per Christum omnes immortales in gratia filii filii Dei.

19. Tertio, lex veteris & nova differunt in eo, quod vetus testamentum conditum est pro veteri, novum pro filiis & heredibus, ut declarat Apollolus ad Galat. 4. his verbis: Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, & in servitutem. Quis fuit per allegoriam dicta. Itaque enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quo est Agar: Sina enim mons est Arabia, qui conjunctus est ei que nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem, que sursum est Jerusalem, libera est, que est mater nostra. Et ipsa: Non sumus ancilla filii, sed libera. Unde ibidem Anfelmus: In utroque (inquit) testamento genuit Deus filios, qui sibi servientes, sed in veteri Judaeos servos, qui timore panis, & promissionibus temporalium, et serviliter obediunt, in gratia vero liberi testamenti liberos, qui ex dilectione servierunt. Quibus veris aliam utriusque legis differentiam indicat, quod nimirum testamentum vetus fuit temporis, novum est amoris: fuit enim illud servorum, quorum est timor, juxta illud Malact. 1. Si Dominus ego sum, ubi est timor meus: hoc est aliorum, quorum est amor erga patrem. Unde Chrysolostomus serm. 1. in Evangel. cum jejuniatis: Ubi Deus Dominum mutavit in patrem, voluit caritatem magis quam potestatem regere, & amari maluit, quam timeri. Et Augustinus lib. ad verbum Adimantum, cap. 16. Deus veteri homini fugienti, tamquam pater aperuit quod timeret, & novo redempti, tamquam pater aperuit quod amaret. Et cap. 17. ait, quod hoc est brevissima & aperitissima differentia duorum testamentorum, timor & amor. Unde quemadmodum timor prior est amore: sic testamentum vetus prius fuit testamentum novo; & sicut timor locum pellit timor, cum autem ceperit caritas habitare, pellit timor, qui et preparavit locum, ita testamentum vetus preparavit locum testamentum novo, quo adveniente, abrogatum fuit. Sicut enim (inquit August. Tract. in Epil. 1. Joann.) quando aliquid fuerit, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor prior occupat mentem, non autem ibi remanet, quia ideo intravit ut introduceret caritatem.

20. Ex his sequitur alia differentia, in veteri enim testamento mysteria fidelitatis, presertim Trinitatis & Incarnationis, erant obscure & imperfecte cognita; in novo clare & exacte sunt revelata. Quare hoc? quia nimirum servi non tam perfecte sciunt consilia & secreta Patris familias, quam filii. Hinc Christus Joann. 14. Discipulis dicebat: jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Hanc differentiam indicavit Augustinus, cum dixit veteris testamentum esse occultationem novi, & novum esse revelationem veteris; & propter hoc Moysen cum loqueretur ad populum faciem velasse, Christum vero nobis revelata facie locutum esse, ut ait Apollolus 2. ad Cor. 3.

Ex hoc intelliges, quod sicut hemispherium eo magis est clarescit quo magis ei sol appropinquat: ita status veteris legis, secundum majorem ad Christum & Evangelium propinquitatem, majorem cognitionis divinarum mysteriorum claritatem & illustrationem accepit: & ut loquitur D. Gregorius homil. 16. super Ezechiel. secundum incrementa temporum, crevit scientia Sanctorum Patrum, & quanto vicinior adventui Salvatoris fuerunt, tanto sacramenta salutis plenius perciperunt. Unde David, quia propinquier Christo fuit, pleniorum de mysterio Incarnationis & Trinitatis, quam ceteri Patriarcha & Propheta, qui ipsum precesserunt, cognitionem accepit: propter quod Pal. 118. ait, super Janes intellexit. Item Joannes Baptista, quia Christo adhuc propinquier fuit, utpote quem digito monstravit pleniorum Davide & ceteris Prophetis veteris testamenti, de eisdem mysteriis intelligentiam habuit: de quo propterea dixit Christus, ipsum esse Prophetam, & plusquam Prophetam, & inter natos mulierum, id est Prophetas, nullum majorem fuisse.

21. Alia adhuc ex dictis colligitur inter vetus & novum testamentum differentia. Nam in veteri testamentum promittebat Deus bona temporalia, in novo promittit aeterna. In veteri dicebat Isaac 19. Si audieritis vocem, bona terra comederis; in novo Christus ait Math. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsum est regnum caelorum. Hinc Augustinus in Psalm. 73. Deus (inquit) se variisque testimoniis voluit esse autorem, ut & terrana promitteret in veteri, & caelestia in novo. Quia nimirum alia est conditio servorum, alia filiorum. Servi accipiunt temporalem mercedem a suis dominis, & sic dimittuntur; filii vero succedunt in perpetuum hereditatem. Hoc insinuat Paulus ad Galat. 4. cum ait: Ejice ancillam, & filium ejus: non enim heredit filius ancilla cum filia libera. Et ad Hebr. 9. cum vocat testamentum novi meliorem spem, per quam proximamus ad Deum, quia scilicet caelestia aeterna sperat; cum contra lex veteris terrena solum & temporalia expectaret. Unde Bernardus serm. 20. in Cantica: Grave legis jugum, & vile praeonium, nam terra est promissio.

22. Ex hoc intelliges aliud discrimen, quod inter novum & vetus testamentum versatur, novum enim calcei fores aperuit, quas vetus aperire non potuit, ut egregie declarat Apollolus ad Hebr. 9. his verbis: in secundo tabernaculo semel in anno solus Pontifex introibat, non sine sanguine; hoc significante Spiritu Sancto, nondum prolatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Hoc est, in Sancta Sanctorum, quo templi pars erat intima, & ceteris precellentior, solus Pontifex semel in anno introibat, ceteri sacerdotis eo ingressu prohibebantur: quia occultatione intima adyti, & partis templi precellentioris, adumbrabat Spiritus Sanctus, viam in caelum iussit fuisse occultam, quoad veteris testamentum ratum fuit. In vi autem testamenti auctor Christus, primus omnium caelum penetravit, caelestemque viam ac fores aperuit. Quam ob causam duodecim portas caeli patentis vidit Joannes Apocal. 21. Porta, inquit, ejus non claudentur, ab Oriente porta tres, & ab Aquilone porta tres, & ab Austro porta tres, & ab Occasu porta tres. Verfus omnes caeli plagas porta patent, quia totius orbis habitatoribus patent, non veteris, sed novi beneficio testamenti.

23. Aliam ejustem veritatis figuram habemus Num. 35. ubi lex hujusmodi a Deo lata extat: Exules & persugi, ante mortem Pontificis, nullo modo in urbes suas reverti poterunt. Per hoc enim significabat Spiritus Sanctus, quod ante mortem Christi, reverti caelum ingredi poterat, nec in patriam caelestem reverti; sed eo defuncto, & resurgente, ac in caelum ascendente caeli portam omnibus fore aperitam, ac liberum in patriam caelestem reditum, unde Gregorius homil. 6. in Ezechiel. „Quid est, inquit, quod homicida post mortem Summi Pontificis abfolutus, ad peccando sibi mortem intulit, nisi quod humanum genus, quod peccando sibi mortem intulit, post mortem veri faceret, id est Christi, peccatorum suorum vinculis solvitur, & in paradisi possessione reparatur.

Denique omnis pluribus aliis inter veterem & novam legem differentialis, haec praecipua & veluti capitalis est, quod lex veteris fuit umbra & figura novae, nova autem veteris perfectio & complementum. Unde Hieronymus lib. 1. ad verbum Pelagianos cap. 9. „In lege promittitur, in Evangelio impletur, ibi initia, hic perfectio est; in illa operum fundamenta sciuntur, hic fidelit & gratiae culmen imponitur. Et Bernard. homil. 1. super Missus est, docet quod sicut fructus tam feminis quam florum finis & complementum est; ita Christus finis fuit, perfectio, & complementum veteris legis: „Videntur (inquit) mihi quoddam fenum fuisse divinae cognitionis, „tamquam a caelo jactatum in terras, allocationes, & promissiones factae ad Patres Abraham, Isaac, & Jacob. Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quam obsensa sunt in exitu Israel de Aegypto in figuris & aenigmatibus per totum iter in deserto usque ad terram promissionis, & deinceps in visionibus & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione quoque regni & sacerdotii usque

ad Christum; Christus autem hujus feminis & horum
 florum, non immerito fructus esse intelligitur. Alia
 similitudine utitur Chrysostomus (vel, ut alii volunt,
 Victor Antiochenus) exponens illud quod habetur Mar-
 ci 4. *Utra terra fructificat primum herbas, deinde spicam,
 deinde plenum frumentum in spica.* Subdit enim: *Primo her-
 bas fructificat in lege naturae, postmodum spicas in lege Mo-
 ysi, postea plenum frumentum in Evangelio.*

26 Si autem queras, quomodo lex nova implet veterem?
 Respondeo cum D. Thoma hic quasi 107. artic. 2. legem
 novam adimplere veterem, suppleto duo, quae veteri
 legi deerant: In veteri lege (inquit) duo possunt con-
 siderari, scilicet finis & praecepta contenta in lege. Fi-
 nis vero cuiuslibet legis est, ut homines efficiantur ju-
 sti & virtuosus, unde & finis veteris legis justificatio
 hominum, quam quidem lex efficere non poterat, sed
 figurabat quibusdam ceremonialibus factis, & promit-
 tebat verbis, & quantum ad hoc lex nova implet ve-
 terem legem, justificando per virtutem passionis Christi.
 Et hoc est quod Apostolus dicit ad Rom. 8. Quod im-
 possibile erat legi, Deus fecit, Filium suum mittens
 in similitudinem carnis peccati, damnavit peccatum in
 carne, ut justificatio legis impleteretur in nobis...
 Praecepta vero veteris legis adimplevit Christus & ope-
 re & doctrina. Opere quidem quia circumcidi voluit,

& alia observare, quae erant tempore illo observanda,
 secundum illud Galat. 4. *Factum sub lege.* Sua autem
 doctrina adimplevit praecepta legis tripliciter. Primo
 quidem, verum intellectum legis exprimendo, sicut pa-
 tet in homicidio & adulterio, in quorum prohibitione
 Scribes & Pharisei, non intelligebant, nisi exteriorum
 actum prohibitum; unde Dominus legem adimplevit,
 ostendendo etiam interiores actus peccatorum cadere
 sub prohibitione. Secundo, adimplevit Dominus prae-
 cepta legis, ordinando quomodo tutius observaretur,
 quod lex vetus statuerat; sicut lex vetus statuerat,
 ut homo non pejeraret, & hoc tutius observatur, si
 omnino a juramento absteinat, nisi in causa necessita-
 tis. Tertio, adimplevit Dominus praecepta legis, super-
 addendo quadam perfectionis consilia, ut patet Mat-
 thei 19. ubi dicenti se observasse praecepta legis veteris,
 dicit: *Unum tibi desit, si vis perfectus esse, unde Et veni
 de omnia quae habes, etc.*

Cetera quae de lege nova doceat S. Thomas, facilia sunt,
 magisque indigent lectione quam explicatione. Unde his
 praetermissis, agendum nobis est Tomo sequenti de alio
 exteriori humanorum actuum principio, scilicet gratia
 Dei, quae est divina legis finis & complementum; nam,
 ut ait Augustinus lib. de Spiritu & littera: *Lex data est,
 ut gratia quaeretur; gratia data est, ut lex adimpletetur.*

Finis Tomi Tertii Clypei Theologia Thomistica.

